

quia hoc nihil aliud denotat, quam Deum imprimere sacramentis virtutem, ut sint media, et instrumenta gratiæ, quæ causatur per illa. Similiter vult gratiam esse causam finalem sacramenti, sicut vult medicinam propter salutem, quia ordinat medicinam ut medium ad salutem, et vult salutem esse causam medicinæ. Hæc autem omnia operatur unica volitio Dei, dividens singulis prout vult, et ita est unus Spiritus, plura autem dona.

XXI. Ad secundam probationem dicitur, Deum velle sacramenta propter salutem, tamquam propter finem et effectum; non effectum causæ æquivocæ et principalis, sed causæ instrumentalis et medii. Non enim est inconveniens, quod medium ad finem sit causa finis, sicut medicina est causa sanitatis, et meritum causa præmii.

XXII. Quinto objicies: Sacramenta, ut dixit S. Thomas quæstione præcedenti, articulo quinto: «Hæc duo, et respectum Dei ad nos, in quantum nos sanctificat per illa; et usum nostri ad Deum, in quantum nos per illa protestamur et exercemus cultum Dei.» Sed ex utroque capite sunt sacramenta simpliciter necessaria: ergo non solum sunt necessaria ut convenientia ad salutem, sed ut necessaria simpliciter. Minor probatur, nam supposito fine, (scilicet salute nostra) oportuit aliquibus mediis ea nobis applicari; nullis autem aliis poterat quam sacramentis, quia eo ipso quo sanctificatio nostra non habebatur ex translatione naturæ, ab extrinseco applicari debebat, et consequenter illud extrinsecum esset signum sanctitatis. Ex parte etiam nostra simpliciter est necessaria protestatio divini cultus, ut sanctificatorem nostrum colamus, cum id sit de jure naturali: ergo erat necessarium, simpliciter.

XXIII. Confirmatur, quia incarnatio fuit simpliciter necessaria ad solvendum de rigore justitiæ: ergo et nobis est simpliciter necessaria applicatio hujus pretii, sicut et ipsum pretium; sed hæc applicatio non potest fieri nisi per aliqua sacramenta: ergo sacramenta sunt simpliciter necessaria ad istum finem, et non solum ad melius esse.

XXIV. Respondetur utroque modo sacramenta esse tantum convenientia, non vero necessaria simpliciter. Nam ut Deus applicaret nobis gratiam, non indigebat sacramentis visibilibus, sed sufficiebant actus interiores, sicut sufficiunt quando extra sacramenta justificamur. Fuit tamen convenientius ut per sacramenta, tamquam per visibilia media justificaremur. Nec instari potest de parvulis, qui actum interiorem habere non poterant, nam posset Deus instituere, quod per actum interiorem offerentium justificarentur, assumendo illum ut instrumentum justificationis eorum, sicut modo assumit aquam. Ex parte etiam nostra est convenientior cultus, qui fit secundum exteriores cæremonias; non tamen simpliciter necessarius, cum sufficiat sæpe interior; in parvulis vero nullus requiratur.

XXV. Ad confirmationem respondetur incarnationis pretium esse simpliciter necessarium supposito decreto incarnationis; sicut autem posset Deus sine incarnatione homines salvare, si libere vellet peccata donare, ita et sine sacramentis ab incarnatione derivatis. Imo facta incarnatione, posset adhuc Deus applicare illud pretium mediante actu aliquo interiori, verbi gratia fidei, aut charitatis; nec tunc necessaria essent sacramenta visibilia.

XXVI. Sexto objicies: Sacramenta solum sunt necessaria necessitate præcepti, non vero necessitate finis:

ergo de se non sunt necessaria ad salutem, sed ex vi præcepti.

XXVII. Respondetur, ante institutionem sacramentorum, nec necessitate finis, nec necessitate præcepti esse necessaria, sed solum convenientia et congrua; facta autem institutione, quædam sunt necessaria necessitate medii, ut baptismus absolute, et eucharistia saltem in voto, et pœnitentia respective id, est, respectu eorum qui peccaverunt mortaliter; quædam vero sunt necessaria necessitate præcepti tantum, et non medii.

ARTICULUS II.

Utrum etiam ante peccatum fuerint homini necessaria sacramenta?

CONCLUSIO EST AFFIRMATIVA.

I. In titulo nota duos terminos. Primus est *ly* ante peccatum: secundus est *ly* necessaria. Per *ly* ante peccatum, intelligitur status, qui fuit ante peccatum absolute consideratus, id est, non solum secundum quod inventus fuit in duobus primis parentibus, sed secundum naturam talis status; quod contra Cajetanum in præsentis articulo notandum est. Nam D. Thomas ex rectitudine status illius probat non fuisse sacramenta in eo: ergo loquitur de statu absolute, et non ut fuit solum in primis parentibus. Rectitudo enim absolute ei conveniebat, et ex se, non ut de facto fuit solum. Per *ly* autem necessaria intellige necessitatem congruentiæ ad duplicem finem, scilicet, ad remedium peccati, seu gratiam consequendam et salutem, et ad perfectionem animæ, id est, aut eruditionem, aut augmentum gratiæ, vel scientiæ. Utrumque enim finem explicavit hic S. Thomas et in iv, distinct. 1, quæst. 1,

art. ii, et ad utrumque necessaria esse sacramenta ut media, negavit.

II. Probat S. Thomas conclusionem, et in argumento Sed contra et in corpore articuli. In argumento Sed contra probat illam veluti inadæquate, et considerando sacramenta secundum unum finem, ad quem ordinantur, et non absolute unum enim ex officiis quod habent sacramenta, est quod sint medicinæ spirituales contra vulnera peccati adhibita; in statu autem nature integræ necessariæ non erant medicinæ, cum non essent ægritudines peccati: ergo. Quæ ratio non totaliter excludit sacramenta ab illo statu, cum non sit necessarium quod sacramenta sint medicinæ, sed sufficit esse signa gratiæ. Nam eo ipso quod non erant necessaria ad remedium, restat videre an essent necessaria ad perfectionem gratiæ, vel ad eruditionem in spiritualibus, vel ad habendam absolute gratiam; quamvis gratia non esset tunc reparativa et medicativa peccati, sed perfectiva subjecti.

III. Quare in corpore articuli ex rectitudine illius status probat S. Thomas non fuisse necessaria sacramenta. Consistebat enim rectitudo illa in hoc, quod superiora perfecte dominabantur inferioribus, et non dependebant ab eis. Ipsa enim mens subjecta erat Deo, et menti inferiores vires animæ, et ipsi animæ corpus: sacramenta autem sunt quid corporale, per quod perficitur anima in superiori parte, et quantum ad supernaturalia: ergo in hoc statu, in quo superiora perfecte dominabantur inferioribus, non erat congruum accipere perfectionem mediante re corporali, si quidem si superiora dominabantur inferioribus, influebant quoque et perficiebant illa, et sic non indigebant rebus corporalibus ad perficienda su-

periora. Quare non solum ille status non indigebat sacramentis ut medicativis, quia non erat quod curarent, sed neque perfectivis, quia inconueniens erat modus perficiendi per medium corporale animam in supernaturalibus.

IV. Sed oritur hic dubium, quod inconueniens erat perfici superiora per inferiora, ut per instrumenta. Sic enim magis perficiuntur per principale agens, ex cuius motione perficit instrumentum; præcipue cum in illo statu perficerentur potentia intellectivæ a rebus sensibilibus, ut ab objectis, cum homines scientiam non ex infusione, sed acquisitione ex objectis habuissent.

V. Respondetur, quod aliud est loqui de instrumentis congruentibus illi statui. Absolute enim non erat inconueniens uti instrumentis corporalibus ad perfectionem illius status, sicut et ad perfectionem Angelorum posset Deus assumere instrumenta corporalia. Non tamen erant congrua hæc instrumenta illi statui, id est, non postulabat hoc ex se, et ex propria convenientia status ille, sicut nec status Angelorum, cum ille status rectitudinem suam ex superioribus haurire debuisset. S. Thomas autem removet hic congruentiam et convenientiam illorum instrumentorum cum statu illo; non autem absolute fuisse inconueniens dicit, cum magis ei conveniret perfici immediate per ipsum agens principale, si quidem ei immediate subijciebatur mens.

VI. At vero perfici ab objectis nullum erat inconueniens, quia objecta exteriora non perficiunt intellectum, nisi per virtutem ipsius intellectus, scilicet, per virtutem intellectus agentis. Unde ipso objecto dominatur intellectus, cum per virtutem suam ex illo species eliciat. Quod vero objectum ipsum reciperet virtutem ab alio, ut perficeret ani-

mam, hoc erat subijcere quodammodo animam ipsi objecto, et esset contra statum illum, et ejus ordinem, et ideo inconueniens erat perfici animam per rem corpoream, quæ participasset virtutem ab alio, non tamen perfici per rem corpoream ex communicatione propriæ virtutis elicentis eam perfectionem. Sicut non est inconueniens, quod Angelus virtutem suam communit corpori; est tamen inconueniens, quod per corpus perficiatur, etiam secundum virtutem participatam ab alio: unde et in pœnam eis est, quod per ignem corporeum alligentur, licet non a virtute ignis, sed a virtute divina per tale instrumentum fiat illa alligatio.

VII. Ex fine etiam sacramentorum amplius explicatur hæc ratio S. Thomæ, nam sacramenta ordinantur ad hoc, ut per illa sanctificentur cultores Dei; cum autem in illo statu homines sancti nascerentur, essetque sanctitas donum naturæ, et non personæ, consequenter ad acquirendam istam sanctitatem sacramenta superfluebant. Ad augendam autem gratiam facilius erat tunc via per actus proprios, et magis connaturales illi statui, sicut et statui Angelorum. Sicut enim Angeli per propriam dispositionem, et non per applicationem ex opere operato auxerunt gratiam, sic in illo statu in quo mens immediate subijciebatur Deo, convenientius erat, quod per conversionem ad ipsum mereretur augmentum. Sicut enim non acquirebatur gratia per applicationem alicujus exterioris, sic neque augeri conveniens erat, quia eadem debet esse causa acquisitionis et augmenti. Cum ergo finis primarius sacramenti sit sanctificatio utentium, et cultorum Dei, cessante hoc fine primario, cessat ratio ponendi sacramenta; cum finis eorum sit perficere cultores Dei in san-

ctitate, et his quæ ad sanctitatem ordinantur: alii autem fines subordinari debent isti.

DUBIUM PRIMUM.

AN SACRAMENTA DE FACTO FUERINT IN STATU INNOCENTIE QUI DURAVIT IN ADAM ET EVA?

Conclusio est affirmativa.

VIII. Et quia D. Thomæ ratio universaliter procedit de illo statu, et ideo sequenti dubitatione examinanda est, nunc pro ea parte, quæ de facto fuit, dubitatio præsens ponitur. Et ideo non indiget ita universaliter ratione, sicut ea, quæ D. Thomas utitur, licet Cajetanus, ut vidimus, titulum articuli intellexerit de statu innocentia solum prout de facto fuit, eo quod D. Thomas interrogat de homine ante peccatum, non autem pro statu, qui absolute esset, sed qui fuit ante peccatum. Præter probationem ergo, qui universaliter dabitur de statu innocentia, et dicetur dubio sequenti, probatur conclusio, quia status innocentia, prout de facto fuit, solum fuit inventus in duobus hominibus, videlicet Adam et Eva, qui in magna perfectione et gratia et scientia creati sunt, et solum brevi tempore erat duraturus; ita quod ille status non fuit datus ut permanens; ergo prout de facto fuit, non requirebat signa permanentia alicujus religionis protestativa, qualis sunt sacramenta, si quidem non debebat permanere, nec dabatur ille status ut permansurus, nec requirebantur sacramenta ad perficiendum in gratia et scientia homines, qui tunc erant, si quidem illi perfecti creati sunt in utroque: ergo respectu illorum hominum, et

respectu status, prout de facto fuit, superfluebant sacramenta.

IX. Dices: Licet ille status non esset in illis hominibus permansurus, hoc tamen non erat ex parte status, sed ex parte defectus illorum hominum: ergo status quantum est ex se, et ex parte status, ut permanens dabatur; et consequenter omnibus illis instructus debet dari, quibus permansurus esset, et consequenter cum sacramentis et sacrificiis; alias institueretur imperfectus et truncus ille status, licet verum esset quod pro illis duobus hominibus ut sic, necessaria non essent.

X. Sed contra est, quod hic non quærimus de illo statu secundum se sumpto (sic enim in sequenti dubio de illo quæretur) sed de illo statu ut ordinato ad homines, qui de facto fuerunt, an ex hoc haberent sacramenta, aut indiguerint illis, quia bene stat, quod ex se potuerit illa sacramenta status ille postulare, in ordine tamen ad aliquos superflua essent; et ideo præsens dubitatio solum currit de illo statu de facto, ita quod ly de facto, non cadat super ly statum, quocumque modo consideratum, sed in ordine ad eos qui de facto usuri essent illo statu, non de statu ipso de facto, respectu tamen hominum qui de facto non essent usuri; nam de statu in hac consideratione tractabimus postea. Quare cum illi, in quibus status iste de facto inventus est, non indiguerint sacramentis pro eo tempore illius status, sive quantum ad gratiam, sive quantum ad scientiam, quia utrumque habebant a principio suæ conditionis, non habuit de facto ille status sacramenta, sumendo ly de facto respectu eorum in quibus de facto inventus est.

XI. Considerando ergo statum illum de facto, non solum ratione

sui, sed etiam in ordine ad eos, qui de facto usuri erant illo, remanet dubium an in illis peculiaris aliqua ratio fuerit utendi sacramentis in illo statu, quæ non fuerit in aliis, nec in ipso statu secundum se. Potest autem excogitari peculiaris ratio in Adam ex quadruplici capite. Primo, quod essent illi necessaria sacramenta ad protestandum exterius fidem, et gratias Deo agendas secundum externum cultum sine quo in religionis nomen nulli homines convenire possunt, ut dicit Augustinus: secundo, quod essent illi necessaria sacramenta ad augendam gratiam secundum visibilia signa.

XII. Tertio, quod essent necessaria ad aliquod peculiare mysterium signandum, sicut matrimonium inter Adam et Evam significavit Christum et Ecclesiam, et ideo: *Sacramentum magnum* a Paulo dicitur: vel ad signandum id, quod per vetationem arboris scientiæ boni et mali Deus intendebat, aut ad alia mysteria, quæ ænigmatice revelata sunt Adamo. Quarto, posset dici necessaria fuisse sacramenta Adam, quia gratiam suam habebat ex Christo præviso, et meritis ejus; Christus autem merita applicat solum per sacramenta, et ideo ut Christo uniretur gratia ejus, indigebat sacramento protestativo salvatoris Christi seu consummatoris gratiæ.

XIII. Sed prima duo exempla sunt communia omni statui innocentiae, secundum se considerato, et non solum prout fuit in Adam; ideoque sequenti dubio de eis agitur. Præsertim vero excludendum sacramentum ab Adam, quod ex opere operato daret sive augmentum, sive acquisitionem gratiæ; cum respectu Adam Christus semper haberetur futurus; et ideo ex opere operato ipsius non poterat gratia ei acquiri, sicut neque in lege

veteri dabatur. Si autem solum ex opere operantis gratiam habere debuisset in illis sacramentis, superflue videbantur poni, cum æque bene per actus virtutum id posset habere, nisi forte propter mysterium aliquod signandum instituerentur, quod ad gratiam pertineret, quod coincidit cum tertio titulo. Protestatio autem exterior fidei non est sufficiens ad institutionem sacramenti, cum primarius ejus finis sit gratiæ practica significatio, quæ si deest, alii fines non sufficiunt.

XIV. Ex tertio etiam capite non fuerunt Adamo necessaria sacramenta, quia etsi aliqua mysteria revelata sint Adamo, et aliqua sensibilia tunc gesserint typum et figuram rei sacræ, ut matrimonium, etc. tamen pro tunc non erant a Deo imposita ut signa practica sanctificationis; sicut etiam transitus maris Rubri, et serpens æneus erant signa rei sacræ, non tamen sacramenta, ut supra ostensum est; sic et matrimonium Adæ, quod pro tunc non fuit sacramentum, etsi significaret rem sacram; tum, quia non institutum est a Deo ut cæremonia religiosa, et permanens in aliqua religione; tum, quia non practicum signum sanctificationis Adam pro illo statu, in quo et gratiam accepit sine sacramento, et in ea ulterius proficere aut non potuit propter brevitatem status, aut non debuit propter incongruitatem sacramentorum ad illum. Ac denique, quia ipse non cognovit mysterium incarnationis per matrimonium, sed potius in spiritu et extasi aliquid de illo attingens in proportione et analogia matrimonii, de illo locutus est et prophetavit; non tamen hoc illi datum est in signum cognoscendæ incarnationis a Deo, quod S. Thomas in quarto sententiarum, dist. 1, quæst. 1, art. 2 videtur insinuare.

XV. Ex quarto denique capite non fuerunt etiam necessaria sacramenta Adamo; tum, quia supposita opinione quod Christus non fuisset incarnatus si homo non peccasset, Christus fuisset ante peccatum caput Ecclesiæ secundum divinam naturam solum, ut dicit S. Thomas quæstione 22 de veritate, art. 4 ad tertium; unde respectu gratiæ datæ homini pro statu, pro quo non erat Christus venturus, non est necesse quod influeret Christus secundum humanam naturam, et consequenter neque secundum sacramenta.

XVI. Tum etiam, quia dato quod illius gratiæ pro illo statu esset auctor, non tamen est necesse quod mediantibus sacramentis ea daretur, sicut nec Angelus; sed sicut gratiæ Angelorum Christus est caput et consummator, nec tamen mediantibus sacramentis, quia naturæ Angelorum non congruit; ita et esset consummator gratiæ illius status, non tamen per sacramenta, quia illi statui non congruebant, sed per infusionem in ipsa creatione; sicut et aliquos de facto in uteris maternis sine sacramento justificavit. Non ergo necesse est gratiam per Christum datam, etiam in quantum redemptor, dari seu applicari per sacramenta, quanto magis quando dat illam solum ut consummator et perfector.

XVII. Denique dicitur, quod gratia Adam, ut intrat ordinem electionis, et prædestinationis ejus est ex meritis Christi: *Quia in ipso elegit nos*, Ephes. 1: et: *Ipse est primogenitus omnis creaturæ*, Col. 1. Cæterum ipsa gratia Adam, non ut intra prædestinationem ejus, sed ut data est pro statu illo secundum communem providentiam, non est necesse ut descendat ex Christi meritis, quia gratia cujus est ipse consummator, ut redemptor, aut pec-

catum supponit, aut prædestinationem, cum consummatio gratiæ sine prædestinatione non sit. At vero gratia Adam pro illo statu, et sub hac consideratione, neque peccatum supponebat, ut esset redemptiva; neque a prædestinatione descendebat, cum non haberet efficacem transmissionem in gloriam pro illo statu, si quidem duraturus non erat, nec in illo aliquis prædestinatus.

XVIII. Nec dici potest, habere gratiam efficacem transmissionem ex se licet ex impedimento subjecti secuta non sit gloria: sicut non sequitur modo in gratia quæ datur reprobo. Hoc, inquam, dici nequit, quia etsi gratia ex se ad prædestinationem pertinebat, et eadem gratia postea reparata ad id pertinuit, tamen non accepit statum prædestinationis, nec secundum illum ordinem data est pro statu innocentiae, in quo nullus prædestinatus aut reprobatus fuit. Modo autem in reprobo gratia statum habet prædestinationis, cum in statu quo datur, et prædestinatio sit, et reprobatio; ideoque licet actualis preventio ad gloriam aliquando frustretur in gratia ex defectu subjecti, non tamen deest illi status consummationis ejus. Ille autem status in quo nullus prædestinatus est aut reprobatus, non est datus ad consummandam gratiam pro illo statu, si quidem nec status ille consummandus erat, sed relinquendus, et ideo pro illo non respiciat Christum ut consummatorem, nec ut redemptorem, et sic nec influentiam petiit per sacramenta.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XIX. Ex dictis solvi possunt omnes objectiones, quæ contra hanc conclusionem fieri possunt. Quod

enim dicitur, Adam cognovisse in signis sensibilibus mysterium incarnationis, ut videtur S. Thomas dicere 2-2, quæst. II, art. VII, et consequenter sacramentis sensibilibus usum esse ad cognoscendas res spirituales, facilem habet solutionem. Primo quidem, quia D. Thomas non dicit in signis sensibilibus cognovisse illud mysterium, sed quod cognovit illud, et habuit fidem explicitam de Christo ut consummatore gloriæ, licet non ut redemptore: et quod hoc cognoverit, inquit, ex eo patet, quia dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, etc.* Genes. III: non ergo per matrimonium tamquam per signum id cognovit, sed alio modo cognitum manifestavit per illud signum; quod et in præsentis articulo insinuat solutione ad tertium ubi dicit: « Matrimonium illud ex consequenti significasse Christum, non vero esse institutum ut sacramentum. »

XX. Secundo dicitur, quod etsi per signum illud mysterium cognovit, non tamen ideo illud erat sacramentum, quia non erat signum practicum sanctificationis Adam, sed signum præcise datum ad cognoscendum, et consequenter speculative, sicut transitus maris Rubri, etc. Non enim omnia signa rei sacræ quomodocumque sacramenta sunt, sed illa quæ sunt signa rei sacræ ut sanctificantis nos. Ex quo etiam patet, quod a protestandam fidem et cultum Dei, ad reddendas Deo gratias, ad cognoscenda beneficia ejus, etc. poterant quidem in illo statu habere signa aliqua externa, ut sacrificia, et actus exteriores virtutum; hæc tamen omnia non faciunt rationem signi practici sanctificantis nos, et ita non constituunt sacramenta.

XXI. Nec tamen propter hoc ponimus accepisse Adam cognitio-

nem rerum spiritualem ex signis sensibilibus; tum, quia licet non sit inconveniens aliqua signa ei attribuire, quoad speculative cognitionem spiritualium acquirendam in his, quæ ipsi non debebantur, nec ad perfectionem debitam illi statui pertinebant, ut sunt aliqua peculiaris circa incarnationem Christi, aut speciales effectus gratiæ: esset tamen inconveniens, quod in perfectione sibi debita acciperet ex sensibilibus cognitionem spiritualium, et ideo practica signa habere non debuit in ordine ad res spirituales; tum etiam, quia ista signa non erant in Adam, aut in illo statu ad acquirendam perfectionem spiritualem et cognitionem, sed potius ex abundantia cognitionis spiritualis redundabat in hæc exteriora, ut tam interius, quam exterius coleretur Deus: unde non ex indigentia, sed ex abundantia signis exterioribus utebatur. Sacramentis tamen uti non posset, nisi ex indigentia, non ex abundantia, quia illa dantur ad præbendam sanctificationem, et consequenter non ex abundantia illius oriuntur, si quidem illam præbent, et ad eam præbendam ordinantur. Deficiente autem fine isto, qui primarius est in sacramentis, deficit et ratio ponendi sacramenta, quamvis alii videantur remanere fines.

XXII. Quod etiam objici potest ex parte Christi, qui erat dator gratiæ in illo statu, jam supra solutum est; præcipueque illa solutio advertenda, quod quamvis daretur gratiam illius status a Christo esse derivandam, non tamen id oportebat fieri per sacramenta, si quidem neque in hoc statu peccati semper sacramentis alligata fuit gratia Christi. Nec obstat, quod Christus fuit consummator illius gratiæ, quæ erat in Adam; tum, quia non fuit consummator per sacramenta; tum, quia

non fuit consummator illius pro statu innocentiae, qui non fuit status consummationis et prædestinationis, sed pro alio statu.

DUBIUM SECUNDUM.

AN ABSOLUTE LOQUENDO, ETIAMSÌ STATUS ILLE DURASSET, IN ILL ESSENT FUTURA SACRAMENTA, SALTEM PRO FILIIS ADAM?

Conclusio est negativa; et præcipue hic a D. Thoma intenta.

XXIII. Pro ejus autem intelligentia, et rationis D. Thomæ, quæ difficilis videtur, primo advertendum est, rationem S. Thomæ procedere ex modo illius status, et natura ejus intrinseca, ideoque currere, sive supponatur Christum venturum in eo statu, sive non.

XXIV. Secundo est notandum, quod perfici intellectum a sensibilibus dupliciter potest intelligi: uno modo quantum ad acceptionem specierum ab objectis, et hæc dependentia intellectus ab objectis externis in intellectu humano non est imperfectio: alio modo quantum ad manuductionem in res superioris ordinis, quarum influxum impeditur homo perfecte suscipere ex retardatione appetitus sensitivi, et ideo oportet quod condescendendo ad infirmitatem ejus, perfectionem illam quæ ex influxu superiori sibi debebatur, accipiat per media sensibilia. Nam ea quæ sunt supernaturalia, et ex infuso lumine noscuntur, non habent per se ex sensibilibus accipi, sed ex superioribus descendere; non quia species infusas ad id requirant, sed quia instructio et traditio hujusmodi cognitionis potius petit per se fieri ex infusione Spiritus sancti, quam ex hominum disciplina et acceptione. Nam etiam sacramenta

modo non serviunt ad accipiendas species rerum supernaturalium, sed ad manuducendum nos in illa. Hæc ergo manuductio ex superiorum influenza, non ex signorum acceptione debuit fieri.

XXV. Unde si instructio et doctrina in supernaturalibus fiat per manuductionem et disciplinam, sicut in naturalibus, id supponit non esse rectum ordinem, nec servari rectitudinem in subiectione mentis ad Deum, si quidem in his, quibus Deo subjici mens debet, id est, in instructiones supernaturalium, oportet id fieri ad modum instructionis, et disciplinæ humanæ, scilicet, per traditionem signorum et sacramentorum. Sicut enim acquisitio scientiarum per disciplinam, imperfectius lumen supponit, quam acquisitio earumdem per inventionem; sic acquisitio supernaturalium per influentiam Dei rectitudinem supponit, quam non habet acquisitio illorum per instructionem signorum; supernaturalia enim per inventionem nostram acquiri non possunt, cum non sint sufficientes ad id vires naturales.

XXVI. Oportet ergo, quod acquirantur ex influxu superiori; et iste est modus connaturalis acquirendi ea. Sicut autem attestatur perfectum lumen naturale, quando per inventionem acquiruntur scientiæ, magis quam si per disciplinam acquirantur, ita et perfectum modum influendi supernaturaliter, et acquirendi supernaturalia, quando ex influxu ipso, et non ex instructione sensibili accipitur, quia hoc est subjici et dependere a rebus sensibilibus in his, in quibus per se non pendet ab eis, id est, in acquisitione supernaturalium, quæ per se habet ex influxu supernaturali haberi, et ex illo instructionem eorum dari.

XXVII. Et sicut Apostolis et prophetis Deus influebat cognitionem